

gnitione imbutos, sed etiam, auditores, quorum erat aera lupinis discernere, beneficio illius cognitionis, ad salutarem notitiam perducere posse. Sententia itaque huc redit. I. *Pharisaei, munia docendi publice consecuti, Mosi conformiter quaedam docent.* II. *Quamdiu ita docent, sunt audiendi.* III. *Simulac a doctrina Mosi recedunt, siue docendo, siue viuendo, neque audiendi, neque imitandi sunt.*

SECTIO II. PORISMATICA.

I. *Pharisaei non omnis prorsus gratiae Spiritus S. erant expertes.*

§. I.

Gratiae S. S. vocabulum contradistinguitur hic *naturae*, & accipitur non ἁπλοῶς, verum μετονομαστικῶς; non tamen pro gratia *mere paedagogica*, sed, quae ad sanctificationem vergit, ad eumque finem verbo lecto vel audito utitur, & sic ad articulum III. Symboli Apostolici pertinet, Totam autem hanc gratiam sanctificantem communiter Theologi distinguere solent in *assistentem*, & *inhabitantem*, *priorem partem* illis, qui in conuersionis rudimentis constituti, antequam saluifica actualis fides in iis accendatur, per verbum Dei, & gratiam Spiritus S. connata ineptitudine, & naturali repugnantia ad cognoscendum, remota, verbum euangelii cognoscere, eidemque assentiri incipiunt, de veritate eius conuincuntur, & sic ad ingenerationem fidei praeparantur, adeoque *negatiue irrogenitis*; *partim* etiam illis, qui, ob peccata mortalia, amissa, quam ante in regeneratione acceperant, fide saluifica, notitiam, assensum generalem, & motus internos, quibus ad gratiam vltiorem inuitantur, retinent, adeoque *priuatiue irrogenitis*: *posteriorem* autem iis tantum, *qui fidem saluificam habent*, vindicantes.

C

Phari-